





//
Q. D. B. V.

AVSPICIO RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISS. PRINCIPIS REGII,
FRIDERICI AVGVSTI,
ELECT. SAX. HERED. ETC. ETC.

DISSERTATIONE PRIORE

DE

**EMENDATIONE
INTELLECTVS ANTE
VOLVNTATIS EMENDA-
TIONEM PONENDA,**

PRAESIDE,

M. IO. GEORGIO VVOLFIO,

KIRCHBERGA-FRANCO,

A. D. OCTOBR. A. R. S. c15 15cc VIII.

EDISSERET

IO. ADAMVS MAYERVS,

BLAVFELD. FRANCVS.

VITEMBERGAE,

LITERIS CHRISTIANI GERDESIL



FRIDERICVS AVGVSTVS
EMENDATIONE
INTELLECTVS ANTE
VOLVIT
TIONE
M. IO. GEORGIO VON IO.
IO. ADAMVS MATTHEVS
LIBRIS CHRISTIANI VERDESII





DISSERTATIO PRIOR KATACKEYACTIKH.

§. I.



Vanto elegantior, iucundior, atque utilior illa est eruditionis pars, quae de ipso homine, speciatimque de parte eius meliore, anima nimirum rationali, et uariis eius functionibus, harumque cultura tractationem instituit: tanto difficiliorem abstrusioemque eandem deprehendunt, quot quot paulo diligentius sollicitiusque de his omnibus cogitare coeperunt. Enimvero, cum doctis omnibus non satisfaciatur, dicere cum Cartesianis, totam animae nostrae rationem mera cogitatione, eaque actuali, absolui, sed contentans huc dum saniorum modestiorumque Philosophorum sententia manserit, neque ueram intimamque naturam spiritus, qualis tamen anima nostra est, neque discrimen diuersarum animae facultatum, tum a se inuicem, tum ab ipsa anima, neque genuinam denique rationem unionis commerciique, quod ipsi cum corpore intercedit, perfecta cognitione comprehendi a nobis, atque definiti posse: hinc fit, ut, nisi quis in iis, quae huc pertinent, summa cum cautione uerferetur, facile hallucinetur, atque in grauissimos

inque sanctiorem imprimis doctrinam iniurios errores probabatur.

§. II. Cuius quidem rei ueritatem uti nemo in dubium uocabit, a quo saltem placita atque dogmata nonnullorum de emendandis animae facultatibus moribusque formandis paulo accuratius sunt inspecta: ita imprimis comprobant exempla eorum, qui, omnem animi nostri emendationem, inuerso plane ordine, non ab intellectu, sed uoluntate potius, cui omnia hoc in negotio deferenda sint, ordiendam esse, contendunt. In cuius quidem asserti ueritatem nos in praesenti eo lubentius inquirere pro uirili, constituimus, quo latius error ille hoc tempore serpit, adeoque in illorum quoque animos se insinuat, qui puriorem diuinioremque ueritatem uindicare ab eiusmodi scoriis debebant. Ita autem rem omnem instituemus, ut in hac dissertatione ueram sententiam tradamus, atque confirmemus: in altera uero, quae propediem hanc sequetur, antithesin eorum, qui contradicunt, afferamus, responsuri simul ad argumenta, in quibus fundari opinionem suam, arbitrantur. Faxit Deus feliciter!

§. III. Neque uero falcem, quod aiunt, in alienam messem missuri sumus, dispicientes, utrum restitutionis humanae spiritualis initium, quod *conuersionem* uocant Theologi, ex praescripto uerbi diuini, in uoluntate, an uero in intellectu fieri debeat? Haec enim controversia, uti ad nos non spectat, nisi, ubi aduersarii pro defendendis partibus suis ex dictamine rationis, adeoque philosophia, argumenta sua depromunt, ita dudum illam a cordatioribus Ecclesiae nostrae Doctores, supra omnem laudem nostram, uentilatam esse, meminimus, sigillatim a *Magnif. atque Summe Rever. Dn. D. V. E. Loescher*o tum in *Prolus. Academ. de finibus officisque diuersis intellectus et uoluntatis in conuers. ac renou. negotio*, tum in *Praenot. Theol.* p. 255. *Venerando ac Celeb. Dn. D. Febr*io in *Examine libelli: Licht und Recht*, nec non in *Philocalia S. p. 44. Excell. Dn. Seb. Edzardi in Erörterung der Frage: ob die wahre Besserung vom Verstand, oder vom Willen angehe*, aliisque.

§. IV. Ce-

§. IV. Ceterum, quo de ipsa instituti nostri ratione, et, quid nobis in controuersiam ueniat, paulo dilucidius constet, illud ante omnia monendum nobis uidetur: non in ea uersari nos sententia, quasi quis, in solo intellectu corrigendo, laborare debeat, ita, ut, neglecta interim uoluntatis cura, arbitretur, dummodo mentis tenebrae utcunque fuerint discussae, omni officio suo esse satisfactum, totumque adeo uirtutum chorum a se possideri. Probe enim conscii sumus illius Tullii effati: *uirtutis laus omnis in actione consistit Off. Lib. I. Cap. V.* Neque etiam, id nos asserere, putandum est, quasi gemina haec utriusque facultatis emendatio longis temporum interuallis esset distinguenda, totamque adeo religionem naturalem, et uirtutes omnes, quam late patent, prius considerari atque cognosci oporteat, quam ad praxin te conferas, et honestati uitae pietatque studere incipias. Cum ipsimet contendamus, omnes notitiae particulas et gradus e uestigio subsequi debere actionem seu praxin. Sed quaerimus de *prioritate seu ordine nature*, simulque de *praerogatiua quadam*, in hoc saltem emendationis negotio, intellectui prae uoluntate tribuenda. Ut sensus assertionis nostrae hic sit: uoluntatem nihil boni, nihil recti, nihil honesti agere posse, nisi praeuia illius boni, recti, honestique notitia in intellectu, iam emendato, praecesserit, atque hanc ipsam ob causam intellectum primariis quasi partibus, in corrigendo mutandoque animo nostro, perfungi. Atque hoc in praesenti nobis est euincendum.

§. V. Eainuero I. Si uerum est, quod nemo dubitat, in omni emendatione id prae omnibus operam dari debere, ut fons et origo mali, siquidem adsit, uel obstruatur, uel e medio tollatur, non est inficiandum, intellectum tanto studiosius ante reliquas animae facultates omnes esse corrigendum, quanto certior ualidiorque ille, sibi relictus, uitiorum, quae in his dantur, causa existit. Etenim (1.) quotquot paulo diligentius ad se ipsos attendunt, accuratiusque animi sui examen penes se insticuunt, non possunt non in intellectu suo experiri atque deprehendere morbos

pestilentissimos, atque, ex his perpetuo oriundos, nocentissimos errores ac praeiudicia, quibus, ceu contagio quodam ceterae animae potentiae inficiuntur. Quum enim ab ineunte aetate, adeoque ante plenum rationis usum, infinita pene iudicia, omnino inconsulta, faciamus, eaque, cum crescente aetate, augeantur magis et firmentur, quam emendentur, adeo, ut iam prorsus loco communium quarundam notionum, ab ipsa natura haustarum, quibus obfistere nefas sit, habeantur: fit inde, ut progressu temporis, quando plenum rationis exercitium sese debebat exerere, atque mens nostra ad cognitionem rerum accingitur, res, quae ipsi obliuiscuntur, neque recte apprehendantur, neque ea, quae par erat, quamque rerum natura postulabat, ratione, diiudicentur. Quorsum et illud spectat, quod a primis statim annis non nisi per phantasmata atque imagines, in nobis ipsis quasi depictas, res omnes cognoscere, consueuimus. quae consuetudo tam firmas in mente nostra agit radices, ut etiam ea, quae non aliter, quam pura in refectione cognosci possunt, quaeque nullum exhibent impressum in cerebro simulacrum, tamen imaginari nitatur, et tanquam res corporeas effingere. Et quo minus intellectus ex hisce morbis emergat, obstant adhuc alii, qui his quasi superueniunt. Cum enim is, ubi res ad cognoscendum proposita est, officio suo rite deberet perfungi, mox deficit in attendendo et studiose meditando, mox in iudicando se praecipitat, mox ubi uix aliqua ueri species affulset, assentitur et credit, mox, cum innumeris, iisque saepe numero plane non necessariis, quos ipse sibi format, scrupulis conflictatur, ut de reliquis mentis nostrae morbis nihil dicam, de quibus conf. modo laudatus *Dn. D. Loescherus* in *Decimis Euangelicis P. I. p. 68*. Atque hi quidem omnes tanto sunt periculi pleniore, quanto maiora post se trahunt incommoda.

§. VI. Neque enim in solo intellectu subsistunt, sed ab ipso (2.) propagantur etiam ad uoluntatem. Non equidem cum illis facimus, qui, ab ultimo intellectus practici iudicio determinari uoluntatem, existimant, cum haec ipsa
senten-

sententia, pessimo consilio, omnem uoluntati libertatem
eripiat. Illud tamen negari non potest, quoniam uolun-
tati de ratione obiecti ex se non constat, quod eam intel-
lectus morali modo moueat, dum eidem obiectum ostendit,
formalem in eo boni maliue rationem commonstrat, me-
dia agendi proponit, ac de iis iudicat, perque rationes hor-
tatur aut dehortatur, suadet aut dissuadet, quorsum uid.
B. Roewensee Prudentia mor. P. II. C. III. p. 79. In quibus omni-
bus, si intellectus errauerit, aut deceptus fuerit, non pot-
est non uoluntatem, quae ipsum, libere tamen, sequitur,
in mali societatem pertrahere, ita, ut neque illud obie-
ctum, quod debebat, neque hoc ipsum ea, qua fieri oport-
tebat, constantia, cura, Zelo appetat, uel auerferur.

§. VII. At non satis est, uoluntatem duntaxat intel-
lectus uitiis occupari, latius illa serpunt, atque (3.) illis
quoque animae nostrae facultatibus, quas inferiores dici-
mus, sensibus et appetitui sensitiuo, non plane nihil de-
trimenti afferunt. Enimuero dudum ab eruditissimis Phi-
losophis obseruatum est, errorem, qui uulgo sensibus ad-
scribitur, proprie loquendo, non nisi ad mentem pertine-
re, quae, quoties copulet, aut disiungat notiones praedica-
torum, quae a parte rei copulata, aut disiuncta non sunt,
toties erret atque fallatur, ac proinde, quando sensus er-
rare dicantur, esse denominationem tantummodo exter-
nam, quatenus nimirum per sensationes menti fiant occa-
siones, eiusmodi ferendi iudicium, quod rebus sensu per-
ceptis difforme sit atque erroneum. Cum enim mens no-
stra, sensu quid percipiens, non intense satis circa obie-
ctum oblatum actiuosa est, hoc unum agendo, sed, primae
cuique leui sensationi stare atque fidere, non dubitat, tunc
merito, abuti sensibus, censenda est, atque deinceps error
quoque malumue, quod inde enascitur, ipsi potius, quam
sensibus adscribendum, quippe qui dati sunt ad iudicium
ueri et boni tum tantum, cum debita diligentia et attentio
mentis impenditur. Quae cum ita se habeant, facile quo-
que iudicium fieri potest de appetitu, et, qui ad eum spe-
ctant, prauis affectibus. Certe omnes animi perturbatio-

nes ex opinione et praecipitato mentis iudicio oriri, du-
 dum elegantissime declarauit Cicero L. III. et IV. *Quaest. Tusc.*
 et ante eum, Epictetus, quando: ταράσσει, inquit, τὸς ἀν-
 θρώπους ἐὰν τὰ πράγματα, ἀλλὰ τὰ περὶ τῶν πραγμάτων δόγμα-
 τα, ὅν θάνατος οὐδὲν δεῖνόν, ἐπεὶ ἢ Σωκράτης ἀν ἐθαύνητο, ἀλλὰ
 τὸ δόγμα τὸ περὶ θανάτου, ὅτι δεῖνόν ἐκεῖνο, τὸ δεῖνόν ἐστιν, ὅταν
 ἐν ἐμποδίζόμεθα, ἢ ταραττόμεθα, μηδέποτε ἄλλης αἰτίας ὄντα
 αἰτ. ἑαυτοὺς, τρεῖς, τὰ ἑαυτῶν δόγματα. *Homines perturbantur*
non rebus, sed iis, quas de rebus habent, opinionibus; uerbi cau-
sa: mors non est malum; alioquin enim et Socrati ita uisum esset.
Sed opinio de morte, quae malum eam facit. Cum igitur impedi-
mur, aut perturbamur, non alios culpemus, sed nosmet ipsos, hoc
est, nostras opiniones in Enchir. Cap. X. Et sane quilibet id
 ipsum penes se quotidie experitur: quando enim mens no-
 stra obiecti, cuius bonitas, uel malitia, intellectui reprae-
 sentata, animi perturbationem in nobis excitauit, praedi-
 cata omnia et singula, postquam defaueuit nonnihil affectus,
 accuratius expendit, semper iudicii errorem deprehendit,
 ex quo ortus sit inordinatus animi motus, sicque poeni-
 tentia ducitur affectus, quo non ita pridem laborabat. Sed
 et (4.) in communi uita, ubi ad scelera hominum impro-
 borum, actusque uitiosos externos attendimus, ueritas hu-
 ius rei elucescit. Nullum enim facile datur uitium enor-
 me, quod non falsum atque praeposterum intellectus iudi-
 cium, cui originem suam debet, supponat. Ita auarus iu-
 dicat, S. B. consistere in possessione opum & diuitiarum,
 alias has ipsas non tam anxie expeteret: idololatra iudicat,
 idola sua et simulacra diuina esse, atque auxilium ab iis ex-
 pectari posse, alias non coleret: magus iudicat, praestigiiis
 suis diuini atque arcani quid inesse, alias iisdem non ope-
 ram daret: uindictae cupidus iudicat, iniuriam sibi illatam
 e uestigio ulcisci, generosi animi esse, alias non tam aegre
 rediret in gratiam: fur iudicat, forsitan sibi, in hoc uel illo
 statu furari, licere, item, se fortasse impune esse laturum,
 alias alterius bonis non insidiaretur: et sic in reliquis.
 §. IIX. II.) Quae omnia, cum, nisi me omnia fallunt,
 satis aperte doceant, ultimam mali, quod in nobis est, ori-
 ginem

ginem ab intellectu arcessendam esse, quid tandem fiet de emendatione? unde illa initium capiet? numne uoluntas primo loco tam corruptum animi statum animaduertit? numne haec circumspicit auxilia, atque remedia suppeditat? neutiquam: imo, quantum abest, ut coecus ei, qui oculorum usu non plene priuatus est, uiam monstrat: ut pedes errantem sine oculorum lumine in rectum tramitem reducant: ut currus, quem equi in deuia abripuerunt, sine auriga in regiam redeat uiam; tantum abest, ut uoluntas, quae coeca est, possit uel se ipsam, uel reliquas animae nostrae facultates emendare, aut in ordinem redigere. Enim uero, si omnia munia, quae uoluntas, circa bonum occupata, propria uirtute expedire solet, consideres, nihil inuenies, quam respectu finis *inclinationem*, quam uulgo *uolitionem* uocant, *intentionem*, et *fruitionem*; respectu mediorum uero *consensum*, *electionem*, et *usum*, quemadmodum recte docet *B. Roerensee l. c. p. 84.* De his autem omnibus, quod generatim dicitur: *ignori nulla cupido*, illud in singulis his actibus uerum esse, deprehendes. Quomodo enim actu ipso uolet, quod non est monstratum? quomodo cum efficacia desiderabit, cuius bonitas non est cognita? quomodo acquiescet et delectabitur, si perfectiones boni non sint perspectae? quomodo consentiet, nisi deliberatum fuerit? quomodo eliget, nisi comparatio fuerit instituta? quomodo applicabit media, nisi de horum ad finem proportionem constiterit? Quemadmodum autem haec posteriores non uoluntatis, sed intellectus sunt operationes, ita uel ideo prius de intellectu nos oportet esse sollicitos, quod priores illae, nisi haec praemittantur, ne locum quidem habere possint.

§. I X. Redeundum igitur omnino est ad intellectum. Quanquam enim III. in antecedentibus eum non postremam mali, quod in nobis datur, causam esse, copiose demonstrauimus, dubitandum tamen non est, quin ab eodem omnino, cum sui ipsius, tum uoluntatis, tum ceterarum animae potenciarum emendatio primordia sua capessat. Enim uero cum harum omnium corruptio eo maxime nomine

deterior, ac tantum non desperata fit, quod ne conscia
quidem sint ex sese, quibus inquinatae sunt, errorum uir-
tiorumque, nedum expedire se ex illis queant: ille solus
hoc habet praecipui, ut nunquam eousque corrumpatur,
quin tantum retineat uirium, quibus, si recte utatur, et
sibi, et reliquis facultatibus prospicere de auxiliis pos-
sit. Vt enim (1.) se ipsum a praeiudiciis, quae per
longum temporis interuallum collegit, liberare quodam-
modo, adeoque ex morbis suis eluctari queat, praesentis-
sima ipsi remedia a sapientissimo naturae Auctore, sunt
concessa. Eum in finem non tantum inditus ei est egre-
gius *κοινὸν ἐπιούριον* thesaurus, quas si semper audiat, et, quod
dichitant ac praecipunt, obseruet, quam plurimos sane er-
rores euitabit, sed hac quoque a natura gaudet perfectio-
ne, ut possit, non modo de rebus repraesentatis iudicare,
uerum etiam iudicia, dudum iam facta, examinare, in ueri-
tatem eorum accuratius inquirere, si uera deprehenderit,
retinere, sin falsa, mutare, et sic ad certitudinem perue-
nire, atque deinceps errores in iudicando declinare. Ne-
que hic a sensibus impedimentum aut periculum est me-
tuendum, dummodo intellectus, ubi illi obiectum sistunt,
sibi constet, assensum suspendat, intentius cogitet, rem
penitus inspiciat, circumstantias quoque non negligat;
ita enim fiet, ut is optimus suorum ipsius morborum me-
dicus existat. (2.) Ad uoluntatis uero emendationem
quod attinet, quamdiu haec ueritas inconcussa manet,
(manebit autem in perpetuum) quod illa non fiat per phy-
sicam operationem atque uiolentam coactionem, sed morali
modo, et per praecepta rationis: nescio, an ad corrigend-
dam uoluntatem, magis necessarium, praestantiusque re-
medium adhiberi possit, quam rectum intellectus iudicium?
*Frustra enim, enitimur, ut uoluntas suas mutet appetitiones, nisi
in hoc laboremus, ut mens sua quoque mutet iudicia, ne fucata
specie boni decipiatur, ne uisum uero bono anteponat; id enim sem-
per uoluntas sequitur, cuius species animum ualidius percellit;*
uti praecclare hanc in rem differit *Celeb. Auctor Philosophiae
Burgund.*

Burgund. Tom. I. P. III. Tract. II. Diss. I. p. 63. Sane non aliam
 ob causam appetitus rationalis titulo insigniuerunt uolunta-
 tem Philosophi, quam quod existimarunt, rationem, quae
 in se iusti, honesti rectique normam ac regulam continet,
 uoluntati, quid, et quomodo agere oporteat? dicitare ac
 praescribere: hanc uero illius sanum rectumque iudicium
 sequi, atque iuxta illud operari debere. Hinc religionem
 omnem in recta cognitione fundat Epictetus, quando:
 τῆς περὶ τῶν Θεῶν εὐσεβείας, αἷτ, ἰσθί, ὅτι τὸ κυριώτατον ἐκείνῳ
 ἐστίν. ὁρῶντας ὑπολήψεις περὶ αὐτῶν ἔχειν, ὡς ὄντων, καὶ διοικούντων
 τὰ ἅλα καλῶς καὶ δικαίως. Religionis erga Deos immortales prae-
 cipuum illud esse scito, rectas de eis habere opiniones, ut sentias,
 et esse eos, et bene iusteque administrare uniuersa. Enchir. Cap.
 XXXIX. Sapienter Cicero: uirtus fere omnis, inquit, in tri-
 bus rebus uertitur: quarum prima est in perspiciendo, quid in qua-
 que re uerum sincerumque sit, quid consentaneum cuique, quid con-
 sequens, ex quo quaeque gignantur, quae cuiusque rei sit causa:
 alterum, cohibere motus animi turbatos, quos Graeci πᾶσιν nomi-
 nant; appetitiones, quos illi ὀρεῖς, obediens efficere rationi etc.
 Off. L. II. Cap. V. Adeo primam praecipuamque intellectus
 curam habendam esse praecipit Orator iuxta et Philosophus
 summus, ut appetitionum quoque nostrarum rectitudi-
 nem, in obsequio, quod rationi praestare debeant, collo-
 cet. Neque enim (3.) rationalis tantum, sed etiam sensiti-
 uus appetitus cum affectibus et passionibus animi primam
 sui emendationem in intellectu experiuntur. Si enim triplex
 in quolibet affectu occurrit motus, uerba sunt B. Roerensse l. c. p. 81.
 (α.) facultatis cognoscentis ab obiecto motae. (β.) facultatis appeten-
 tis a cognoscente motae. (γ.) totius hominis a facultate appeten-
 te per organa moti; nullum est dubium, quin, si facultas
 cognoscentis, quando primum illum motum sentit, recte se
 habeat, atque debitum suum officium faciat, facultas appe-
 tens tanto futura sit ab errore uitioque immunior, quan-
 to cognoscentem illam, a qua quippe duo posteriores mo-
 tus pendent, accuratius sequitur. Quare Cicero, sicuti, lo-
 co supra a nobis citato, omnes animi perturbaciones ex si-
 nistro

nistro intellectus iudicio fluere, docuerat, ita, non nisi per Philosophiam, ueramque sapientiam, quae intellectus habitus est, in ordinem redigi posse, existimat. *Quaest. Tusc. L. III. & IV.* Et alibi id unum efficiendum suadet, ut appetitus rationi obediant, eamque neque praecurrant, neque propter pigritiam aut ignauiam deserant. Et paulo post: qui appetitus longius euagantur, et tanquam exultantes, siue cupiendo, siue fugiendo, non satis ratione retinentur, si sine dubio finem et modum transeunt. Relinquunt enim et abiiciunt obedientiam, nec rationi parent, cui sunt subiecti lege naturae *Off. L. I. Cap. XXIX.* Notum quoque est Senecae argumentum, quo omnem affectuum emendationem ex prudentia, quae intellectum agnoscit sedem suam, deducit: qui prudens est, ait, et temperans est. Qui temperans est, et constans est. Qui constans est, et imperturbatus est. Qui imperturbatus est, sine tristitia est. Qui sine tristitia est, beatus est. Ergo prudens beatus est. Et prudentia ad beatam uitam satis est. *Epistolarum lib. I. Epist. LXXXV. sub inis.* Et omnino admiratione digna sunt, quae solo rationis usu hac in re praefecerunt Stoici, alique Philosophi antiquiores, qui tantam sibi constantiam conciliarunt, ut non ferrum, non ignem, non uenenum, non mortem ipsam formidarent, sed omnibus sese fidiculis et quaestionibus superiorum tormenta, ferreis malleis concisus, ingeminabat: unde, runde follem *Anaxarchi*, *Anaxarchum* enim ipsum non reuis uid. *Cicero Quaest. Tusc. lib. I.* Nota sunt exempla *Zenonum* tam *Citrici*, quam *Eleatae*, *Mucii Scaeuolae*, *Theramensis*, *Deciurum*, *Cleombroti Ambraciatae*, *Hegesiae Cyrenaici*, qui uel horrendos cruciatus, ipsamque adeo mortem incredibili constantia patientiaque subierunt, uel aliis, ut subirent, persuaserunt, quorum integrum catalogum dedit *Cicero Quaest. Tusc. passim*, conf. *Horneius in Etb. lib. II. Cap. VI. §. VII. pag. 219. seqq.* Quae quidem, etsi non omnia ex recta conscientia profecta sunt, sufficit tamen nobis, quod abunde edocere possint, quantum, in domandis atque compescendis animi affectibus, nostra ualeat ratio, causamque adeo nobis esse, cur

cur horum correctionem ex emendato intellectu deriuemus? Quod ipsum elegantissime quoque ostendit Illustriſſimus Tzschirnhausenus, quando inter alia: *sapiens, inquit, multo facilius suas superabit passiones, et animum quietiorem conseruabit, quoniam passiones semper ex falso supposito oriuntur, quod cum ab ipso bene detegatur, nec ille falsis acquiescat, eo facilius eas superabis, quo maiores progressus in acquisitione ueritatis fecit: cum ex aduerso alii ob mera falsa supposita seu praecudicia in maxima uitae pericula et infortunia sua culpa saepissime sese coniciant.* Med. ment. P. I. p. 18. seq.

§. X. IV. Ipsa natura actionum moralium, quae et uoluntariae a causa efficiente dicuntur, argumentum nobis pro sententia nostra subministrant. De iis enim unanimi suffragio docent saniores morum Doctores, quod uel ideo potissimum morales ac uoluntariae dici mereantur, quod e rationis dictamine fuerint profectae. Ipsa enim certe formalis ratio actionis moralis non praecise consistit in eo, quod sit actus, sed quod sit actus cum respectu, et in ordine ad legem, seu moralis reſtitutionis regulam. Ille uero respectus ne locum quidem habere potest, nisi prius intellectus et conscius sit legis, siue ex natura, si sit naturalis, siue aliunde, si sit positua, et ex conscientia illa, quid hic et nunc conueniat, uel non conueniat, iudicauerit. Hinc, ut uoluntarium quid dicatur, duo requiri asserit Auctor Philosoph. Burgund. cognitionem, et uoluntatis propensionem, et, si alterutrum ex his desit, nullum relinqui uoluntario locum Tom. I. Lib. III. Tract. II. Diss. I. p. 616. Et Illustriſſimus Puffendorſſius: regulariter, dicit, actionis uoluntariae initium est ab intellectu. Inde tritum illud: ignoti nulla cupido. Quamquam ea cognitio, actum uoluntatis antecedens, non semper sit distincta; cum etiam confusa ad hoc sufficere possit, ut uoluntas sese moueat. J. N. et G. lib. I. C. III. §. 1. Haec quoque unica est causa, cur neque bruta, neque infantes, neque homines mente capti proprie dictas actiones morales seu uoluntarias edere dicantur, neque, quas edunt, imputari possint? quia nimirum, aut ipsa ratione, aut saltem eiusdem usu atque exercitio destituuntur. Quae si

vera sunt, uti sunt uerissima, quis amplius dubitaret, tanto ardentius ante omnia de intellectus curatione laborandum esse, quanto magis illius conscientia iudiciumque ad quamlibet actionem moralem ac uoluntariam est necessarium?

§. XI. Imo V. quisquis paulo diligentius hanc rem expendit, deprehendet, prorsus fieri non posse, ut uoluntas ante intellectum emendetur. Nos enim ita argumentamur: Si uoluntas sine praeuio intellectu, iam emendati, lumine mutari atque corrigi potest, sequitur, quod illa emendatio fiat, aut per proprium aliquod lumen, per quod et sui corruptionem cernat, et modum ac media emergendi inueniat, atque applicare norit: aut per necessitatem intrinsecam, absolutam ac fatalem: aut denique per potentiam quandam ac lumen supernaturale atque diuinum. Ast *primum* illud repugnat omni saniori Philosophiae, tollit enim e medio ipsam naturam atque genuinam uoluntatis notionem, quippe quam, magno haecenus consensu, non equidem in cognitione atque iudicio, sed in appetitione duntaxat et auersatione, Philosophi posuerunt. *Secundum* uero inuehit horrendum Naturalismum atque Atheismum, qui dudum in Spinoza damnatus est. *Tertium* denique, uti omni fundamento in natura destituitur, ita crassissimum insuper sapit Enthusiasmum. Relinquitur ergo, quod uoluntas non alio modo emendetur, quam per rationem, qua a sapientissimo Numine praeditus est intellectus noster. Per hanc enim homo non tantum omni alio animantium genere excellentior est, sed quoque, in omni uita exhibere se talem, discit, per hanc intelligit sentitque, quid uerum, bonum, sincerum, ac naturae hominis aptissimum sit? quid sit ordo? quid sit, quod deceat in factis dictisque, qui modus? et proinde, ubi uoluntas hanc ducem sequitur, eo tutior, sine dubio, atque ab errore uitioque remotior, in operando progredietur, quominus ab illius sano rectoque iudicio, ceu norma ac regula sua, discedet. Quae quidem adeo uera sunt, ut aduersariis

fariis ipsis aliquando fatendum sit, facem saltem ceteris animae potentis praeferre intellectum debere.

§. XII. Ast non in se tantum absurda est, atque omni rationis fundamento caret sententia contraria, uerum etiam VI. ubi in Theologiam transfertur, quam plurimos, eosque perniciosissimos errores post se trahit. Ut enim hic non repetamus, quae modo tetigimus, in aprico est, quod crassissimus religionum indifferentismus, quem fanatici homines dudum intenderunt, sponte quasi exinde sequatur. Liceat nobis id ipsum *Magnif. Dn. D. Fechtii* uerbis declarare, quando de eiusmodi hominibus: *nouo inuenio, ait, uoluntatis mutationem et emendationem praecedere intellectus iudicium disputant, ut, si uoluntas diuina Spiritus gratia sancta fuerit, operosa intellectus informatione opus non sit, cum praedicata ab Apostolo unctio sine ulla Doctoris disciplina, quae homini iam quoad uoluntatem conuerso et regenerato necessaria sit, eundem sit doctura.* Ex quo prona consequentia fluere dicunt, quicquid hactenus ab *Academiarum Theologis de intellectu, uera sacrorum notitia imbuendo b.e. de articulis fidei, de Symbolis, de catechesibus, de compendiis, de systematibus, et, ut summatim dicam, de credendis formis adeo sollicitè iactatum et commendatum fuit, ut, quisquis iisdem haud assentiretur, discissa in perpetuas sectas Ecclesia, a salute fuerit exclusus, id omne cassa sit uilius nuce, nec quicquam aliud, nisi cerebrinam, b.e. literalem, uanam, inutilem, rixosam, sectariam, carnalem, nec aliam, quam qualis Diaboli est, fidem constituat.* Hinc nullum articulum fidei necessarium esse, nullam fidei formulam aut Symbolum cuiquam obtrudendum esse, nullam haeresin in intellectu, atque adeo ob haeresin neminem condemnandum esse, nullum errorem damnabilem esse, nullam in uero christianismo sectam esse, quicquid omnes omnium religionum christianis, abstractis iis, in quibus a sese dissentiant, credere se profiteantur, id ad fidem, et salutem consequendam sufficiens esse: in *Epistola ad Cl. Dn. Lindenium, quae praefixa est Examini lib. Liebt und Recht.*

§. XIII. Sed quid his diutius immoror? Aduersariis ipsi, dum regulas de emendanda uoluntate praeficiunt, hoc ipso,

ipso, uel inuiti, ac inscii, sententiam nostram confirmant, quum praecepta eorum uoluntatem, non immediate, sed per intellectus lumen, ingredi, atque afficere possint. Quamobrem hic potius finem facimus, atque ea omnia, quae tradidimus, sequenti argumento includimus:

Si I. intellectus est fons et origo mali, quod in nobis est, ita, ut 1.) non ipse tantum quam plurimis erroribus morbisque laboret, sed etiam 2.) causa sit errorum ac uitiorum in uoluntate 3.) in sensibus et appetitu sensitiuo, 4.) in actibus moralibus externis: II. si uoluntas est coeca, atque proprii luminis expers III. si in tali statu solus intellectus tantum adhuc habet uirium, ut, debito studio adhibito, mutare atque corrigere possit, 1.) se ipsum, 2.) uoluntatem, 3.) appetitum sensitiuum cum affectibus et passionibus: IV. si omnis actio moralis et uoluntaria incipit ab intellectu: V. si correctio uoluntatis sine praeuia emendatione intellectus non modo plane est impossibilis: sed etiam VI. perniciosissimos errores in SS. Theologiam inuehit; sequitur omnino, quod emendatio intellectus ante uoluntatis emendationem sit ponenda.

Sed I. intellectus est fons et origo mali, quod in nobis est, ita, ut 1.) non ipse tantum quam plurimis erroribus morbisque laboret, uid. §. V. sed etiam 2.) causa sit errorum ac uitiorum in uoluntate §. VI. 3.) in sensibus et appetitu sensitiuo §. VII. 4.) in actibus moralibus externis ibid. II. uoluntas est coeca, atque proprii luminis expers §. IIX. III. solus intellectus tantum habet uirium, ut, debito studio adhibito, mutare atque corrigere possit 1.) se ipsum, 2.) uoluntatem 3.) appetitum sensitiuum cum affectibus et passionibus §. IX. IV. omnis actio moralis ac uoluntaria ab intellectu incipit §. X. V. correctio uoluntatis sine praeuia intellectus emendatione non modo est plane impossibilis §. XI. sed etiam VI. perniciosissimos errores in SS. Theologiam inuehit §. XII.

Ergo emendatio intellectus ante uoluntatis emendationem est ponenda.

ULB Halle
003 620 00X
3


Sb.

VJ
17







//

2. D. B. V.

AVSPICIO RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISS. PRINCIPIS REGII,

FRIDERICI AVGVSTI,

ELECT. SAX. HERED. ETC. ETC.

DISSERTATIONE PRIORE

DE

**EMENDATIONE
INTELLECTVS ANTE
VOLVNTATIS EMENDA-
TIONEM PONENDA,**

PRAESIDE,

M. IO. GEORGIO VVOLFIO,

KIRCHBERGA-FRANCO,

A. D. OCTOBR. A. R. S. c13 15cc VIII.

EDISSERET

IO. ADAMVS MAYERVS,

BLAVFELD. FRANCVS.

VITEMBERGAE,

LITERIS CHRISTIANI GERDESIL

